

Herodot.  
l. 2, c. 4.  
Lucian. de  
Dea Syr.

Jambl. de  
myst. Æ-  
gypt. Sect. 3.  
c. 28, 29, 30.

Orig. libr. 7.  
contra Cels.  
Euf. præp.  
Evang. l. 6,  
cap. 10.

tionem. Primos autem idolorum fingendorum & colendorum auctores facit Phœnices & Ægyptios: Ægyptios tantum Herodotus & Lucianus. Quod de recentioribus dixisse eos putandum est: Ægyptiorum enim aliarumque etiam gentium templa statuis olim caruisse, diserte Lucianus affirmat. Postea animalium templis inferre cœperunt simulacra, deinde etiam hominum. Porro quid de idolis sentirent gentis hujus Theologi, fuse & docte explicat Jamblichus, aitque sperni ea à Sacerdotibus, qui veras Deorum species contemplari solent, fieri ex vili materia, deteriora esse ipsis artificibus, artem ipsam infirmam esse, nec ad naturæ effectiones, nedum ad divinas, posse assurgere; vanam quoque illorum esse operam, qui statuis ad siderum motus fabricatis, ex eorumque defluvio temperatis, illigari posse putant divinam quandam vim, ex qua futurorum notitia comparetur; mobilia enim esse & mutabilia ejusmodi defluvia, partem quippe esse infimam materiæ divinis motibus obnoxia, in qua divinum nihil insit, nihil certum, nihil unde Dæmon generari possit, materiam temperari, moveri, subigi a Dæmonibus; non Dæmones fingi à materia, aut ab homine, simplex a multiplici, validum atque potens ab infirmo. Hæc ex Abammonis Ægyptii persona & doctrina differit Jamblichus, non ex sua, qui contraria omnia scripsisse traditur in opere de idolis, quod a Johanne Philopono confutatum est. At Persæ Magorum præcepta secuti, ab imperio suo condito repudiarunt simulacrorum usum atque cultum. Persas dico; nam gentes quædam Persis subditæ ab hac lege recesserunt. Brachmanes item apud Indos atque Bactros olim averfabantur idola, cum inter ea cæteri iis uterentur. Nunc etiam sic existimant nonnulli ex illis, Deum opificem mundi nulla figura exprimi posse. Sentiunt idem Mandarinum Sinenses, idolorumque cultum vanum esse autumant, nec rejiciendum tamen, ut religione hac animi vulgi facilius in officio contineri possint. Quondam igitur templis Geniorum, quæ magnificentissima habent, nulla inferebantur simulacra, sed tabellæ tantum Geniorum nominibus inscriptæ: ac deinde majoris reverentiæ causa statuas in illis collocarunt. Necdum etiam ad recipienda idola aut observanda se demisit secta, quæ Eruditorum appellatur; quippe callentes instituta majorum: si modo Sinarum majores dicamus Seras, quos a horruisse à statuis, earumque cultum lege lata prohibuisse, testatur Celsus apud Origenem, & Bardesanes apud Eusebium. Græci ab Ægyptiis fingendorum idolorum consuetudinem acceperunt per Cecropem; cum nulla ante eum visa essent